

ter omnium ecclesiarum. 2^o Praeter principalem doctrinam de gratia et de praedestinatione notanda est doctrina de fide, quam dicit homines iustificare *sine operibus legis* (scilicet Mosaicae), quod perperam a novatoribus intellectum est de sola fide seclusis bonis operibus (III, 28). 3^o Doctrina explicita et apertissima de peccati originalis propagatione in omnes homines (V, 12 seqq.). 4^o Praedictio de futura Iudaeorum conversione ad Christum (XI, 1 seqq. 25-31). 5^o Doctrina de origine civilis, seu politicae auctoritatis a Deo (XIII, 1-7).

Tempus, locus aliaque adiuncta epistolae. — Communis sententia est epistolam ad Romanos a Paulo scriptam esse a. 58; unde apparet eam primam non esse ordine temporis quamvis primo loco ponatur tum ob dignitatem Ecclesiae Romanae, ad quam est directa, tum ob argumentum quod pertractat, de ipsis scilicet Christianismi fundamentis. Scripta autem est *Corinthi*, quod colligitur tum ex salutatione quam mittit *Caii hospitis sui, et Erasti Arcarii civitatis* (XVI, 23), quos aliunde scimus Corinthi cives fuisse (1 Cor. I, 14, Act. XIX, 22, 2 Tim. IV, 20), tum ex eo quod Romanis commendat Phoeben quae videtur epistolam Romam attulisse, quae etiam erat diaconissa Ecclesiae Cenchrensis; erat autem Cenchræe florentissimus Corinthi portus. Epistola a Paulo Apostolo dictata est, et calamo excepta a quodam Tertio qui salutationem mittit (XVI, 22): « *Saluto vos ego Tertius, qui scripsi Epistolam, in Domino.* » Allata autem est, ut superius innuimus, a Phoebe diaconissa, quam Apostolus Romanis commendat, ut eam suscipiant in Domino, eique assistant quemadmodum ipsa multis astiterat et ipsi Paulo (XVI, 1, 2).

B. *Epistola 1 ad Corinthios.*

Duae ad Corinthios extant Pauli epistolae, quae secundo et tertio loco inter Paulinas numerantur.

Occasio et scopus epistolae 1 ad Corinthios. — Postquam Apostolus per solidum annum et sex menses Evangelium praedicasset Corinthi, in urbe totius Achaiae florentissima ac populosissima, Ecclesiam ibi fundavit Ecclesiarum Achaiae metropolim. Contigit autem ut post Pauli discessum abusus, scandala et dissensiones in laudata Ecclesia enascerentur. Corinthii enim ex una parte Philosophiae et scientiarum studiis maxime addicti erant, ex alia vero morum corruptione celebres, unde apud graecos Κορινθίωνες

idem erat ac lasciviae indulgere, et Κορινθία κόρη (puella corinthia) idem ac meretrix; quare multi ex iis post acceptam fidem in vitia relabi coeperant. Haec fuit prima occasio scribendi hanc epistolam. Insuper ipsi Corinthii ad Apostolum scripserant de quibusdam quaestionibus praecipue circa matrimonium et virginitatem, quod etiam occasionem scribendi Paulo praebuit. Hinc patet duplicem esse scopum huius epistolae, nempe abusus et dissensionibus remedium apponere, et Corinthiorum consultationibus respondere.

Epistolae analysis, et summa. — Itaque in principio epistolae post salutationem et gratiarum actionem pro spiritualibus donis, quibus Corinthii a Deo cumlati fuerant, statim eos increpat ob discordiam inter eos ortam quod plus aequo gloriarentur de diversis magistris, a quibus singuli edocti et baptizati fuerant. Crucis porro humilitatem vehementer commendat, eamque saeculari scientiae, cui homines illi addictissimi erant, praeferrendam esse docet, simulque eos arceat a iudicandis Dei ministris et a vana gloria; monet etiam ut a pseudo-apostolis caveant (I-IV). Mox Corinthios redarguit quod fratrem publice incestuosum tolerarent, quem ipse *satanæ tradit in interitum carnis ut spiritus salvus sit in die Domini nostri Iesu Christi*, concludens vitandos esse fornicarios aliosque criminosos fratres (V). Transit deinde ad alium abusum reprehendendum quod nempe iudicio inter se contenderent et hoc apud infideles indices: tum vero matrimonium commendat, cui tamen praeferrendam docet virginitatem (VI-VII). Corinthios docet ex se quidem licitum esse vesci idolothytis (seu carnibus idolis immolatis), ab iis tamen abstinendum si quis ex certa conscientia, quamvis erronea, putaret id prohiberi, aut si scandalum infirmorum exinde sequeretur (VIII-X). Nonnulla praescribit de modo orandi in ecclesia, scilicet ut viri aperto capite, mulieres autem velato in ecclesia orent, tum etiam de ratione instituendi agapas seu convivii charitatis, et de sumptione Eucharistiae (XI). Plura docet de charismatibus fidelibus tunc frequenter concessis, quae monet ad commune bonum conferenda esse, omnibus tamen longe praeferrendam esse charitatem virtutum omnium principem, et perfectionis vinculum (XII-XIV). Resurrectionem mortuorum pluribus rationibus convincit, eiusque modum docet (XV). Denique Corinthios monet de elemosynis colligendis pro fratribus Hierosolymi-

tanis, Timotheum et Stephanæ familiam commendat et salutaciones addit (XVI).

Speciatim notanda sunt: 1^o Sententia in incestuosum Corinthium lata, quæ uti primum solemniss excommunicationis exemplum habetur (V, 3-5), 2^o Doctrina de *virginitate et matrimonio* (VII), 3^o Doctrina de *Sanctissimæ Eucharistiæ institutione* (XI), 4^o Clarus et elegans conceptus *unitatis ecclesiæ*, similitudine desumpta ex humano corpore (XII), 5^o Splendidum ac vere divinum *elogium charitatis* (XIII), 6^o denique luculenta expositio *dogmatis de corporum resurrectione* (XV).

Locus et tempus. — Nonnulli codices graeci in subscriptione huius epistolæ eam Philippis scriptam asserunt: sed hoc repugnat ipsius epistolæ verbis (XII, 5, 6) ubi Paulus affirmat se nondum in Macedoniam venisse. Itaque vera et communis sententia est hanc epistolam Ephesi fuisse scriptam, ut plane intelligitur ex salutatione (XVI, 19): « *Salutant vos Ecclesiæ Asiæ. Salutant vos in Domino multum Aquila et Priscilla, cum domestica sua Ecclesia, apud quos et hospitor.* » Aliunde enim constat Aquilam et Priscillam Ephesi tunc habitasse (vid. Act. XVIII, 17). Missa fuit epistola per Stephanam, Fortunatum et Achaicum, ut habent codices graeci. Ad tempus quod attinet hæc epistola scripta creditur circa a. 50 aer. vulg. ut ex serie gestarum, et itinerum Pauli desumi potest.

C. *Epistola 2 ad Corinthios.*

Epistolæ occasio, et scopus. — Postquam Apostolus primam ad Corinthios epistolam misisset Ephesi locum habuit tumultus a Demetrio argentario excitatus, de quo legitur Act. XIX; quare coactus est Paulus inde discedere (I, 8); venit itaque in Troadem sperans ibi Titum sibi obviam venturum, quem Corinthum miserat ut illius Ecclesiæ statum coram disceret, et ad se referret quemnam effectum prima epistola habuisset (II, 12, 13). Non inveniens in Troade Titum sollicitudine plenus in Macedoniam venit (ibid.) ubi tandem gaudio repletus est invento Tito, et faustissimis ab eo acceptis nunciis de reverentia ac submissione, qua Corinthii eius admonitiones et reprehensiones susceperant, et de studio quo satagebant praeteritas culpas expiare ac reparare (VII, 5-7). Simul tamen didicit adhuc inter Corinthios manere pseudo-apostolos, qui omnibus modis conabantur antiquos abusus excitare ac fovere, ut quæ id facilius assequerentur non cessabant Pauli auctoritatem de-

primere eo quod ex numero primorum Apostolorum non esset, et ideo legitima missione eum carere dicebant. His auditis, Apostolus, cum non statim posset Corinthum venire, *secundam hanc scripsit epistolam* ad eosdem Corinthios, et ad omnes Achaïæ fideles non suo tantum, sed etiam Timothei nomine. Igitur hunc scopum prae oculis habet: Corinthiis scilicet gratulari, eosque consolari, dein vero pseudo-apostolos arguere, suamque contra illos auctoritatem vindicare.

Epistolæ analysis et summa. — Postquam sese excusavit quod nondum ad Corinthios venire potuerit, agit de suo munere Apostolico, et obiter perstringit pseudo-apostolorum invidiam, et hypocrisim, simul vero Corinthios hortatur ad Christianæ vitæ institutionem sectandam, et ad infidelium consortium vitandum (I-VI); tum vero iis ostendit quanto amore eos prosequatur, et quam ingens gaudium inter maximas afflictiones ei attulerit eorum emendatio, inquam se non poenitere quod eos contristaverit in prima epistola, quia *contristati sunt ad poenitentiam* (VII). Postquam plura de eleemosynis colligendis dixit (VIII-IX), incipit suam auctoritatem asserere contra suos detractores, ideoque multa, licet invitus et iuxta omnes modestiæ leges, de se narrat, scilicet exanlato pro Christo labores, persecutiones et afflictiones pro Evangelio toleratas, denique etiam superna charismata, visiones et raptum usque ad tertium coelum (X-XII): concludit Corinthios aliosque Achaïæ Christianos reprehendens de quibusdam abusibus nondum sublatis, et salutationibus bonisque omnibus epistolam absolvit (XIII).

Tempus et locus huius epistolæ vulgo ita definiuntur, ut ea credatur a. 57 scripta Philippis in Macedonia. Horum primum ex serie factorum desumitur, alterum vero ex subscriptionibus codicum, et ex ipsis verbis Epistolæ (II, 12, 13, IX, 2-4) ubi Paulus dicit se in Macedonia consistere. Missa autem est epistola per Titum et alios duos fratres (VIII, 16-24).

D. *Epistola ad Galatas.*

Occasio et scopus Epistolæ. — Est Galatia regio Asiæ minoris, quæ nomen accepit a Gallis, qui patria relicta ibi sedes fixerant. Hi quidem pagani erant, sed plurimis Iudæis commixti. Hunc itaque populum Paulus Evangelio imbuuit sine dubio in secundo suo itinere per Asiam minorem (Act. XVI, 6), iterum vero in tertio itinere apostolico eos in fide confirmavit (XVIII, 23), eiusque prae-

dicationem et monita magno animi fervore Galatae susceperant, ita ut multa quoque pro causa Evangelii, tolerarent, ac miraculorum etiam dono inclarescerent. Verum dum omnia prospere se haberent supervenerunt post Pauli discessum falsi quidam doctores, qui Galatis persuadere conati sunt necessariam adhuc esse ad salutem observantiam circumcisionis, et aliorum rituum legalium, et quoniam idem Apostolus contrarium docuerat conabantur eius auctoritatem, ac doctrinam in populi aestimatione deprimere. Statim ac de his certior factus est Paulus ad Ecclesiam Galatae hanc scripsit epistolam, cuius proinde scopus et argumentum est tum divinam Apostolatus sui auctoritatem vindicare, tum etiam ostendere legalium observantiam inutilem evasisse, nec ullam in iis spem collocandam esse post promulgatum Christi Evangelium.

Epistolae analysis et summa. - Itaque in *Parte I* a cap. I-III vehementer arguit Galatas quod tam cito passi fuerint se transferrē in aliud Evangelium, et statim Apostolatam suam vindicare incipit enarrans suam conversionem, revelationem et missionem a Christo acceptam, nec non communionem ab eo quaesitam cum aliis Apostolis, et praesertim Petro: *ne forte in vacuum curreret, aut cucurrisset.* In *Parte II* a cap. III-VI de praefato pseudo-apostolorum errore pertractat, et eloquenter exponit inutilitatem legalium ad salutem, quam non per legis observantiam, sed per fidem in Christum obtineri posse demonstrat. Denique Galatas hortatur ad vitia fugienda, et virtutes sectandas imprimis charitatem erga proximum, et in fine Epistolae repetit propositionem, quam pluribus antea confirmaverat scilicet *neque circumcisionem, neque praepitium aliquid valere in Christo Iesu, sed novam creaturam* (VI, 45), et salutatione epistolam claudit.

Tempus et locus. - Quamvis nonnulli asseruerint epistolam ad Galatas Antiochiae in Syria scriptam fuisse circa a. 50, et alii Romae multo serius, probabilior tamen et communior est sententia eam Ephesi scriptam esse, et quidem a. 54 vel 55. Argumenta pro prima sententia, eorumque solutio videri possunt apud Guntner (Introductio in N. T. §. 162). Sententia vero, quae Romae epistolae scriptionem collocat vel ex eo refutatur quod nullum in ea vestigium occurrat de Pauli vinculis ut in omnibus epistolis Romae scriptis fit; deinde excluditur ob rationes, quas mox producemus pro communi sententia. Communis itaque sententia ex chronologia

actorum Apostoli probatur: quia nempe oportet fateri epistolam hanc a Paulo scriptam esse postquam his Galatis praedicasset, quod quidem factum est primum in secundo eius itinere et iterum in tertio itinere Apostolico ut apparet ex Act. XVI, 6 et XVIII, 23: rursus fatendum est brevi post alteram praedicationem epistolam datam fuisse ob ea quae leguntur I, 6 ubi Apostolus miratur Galatas *tam cito a veritatis tramite aberrasse.* Itaque nullam a plius tempus eius scriptioni assignari potest quam biennium illud, quo Paulus in praedicto tertio itinere Ephesi substitit (Act. XIX) scilicet a. 54-56.

E. Epistola ad Ephesios.

Ephesus urbs Ioniae Asiae proconsularis metropolis erat, et celeberrimum totius Asiae citerioris emporium, oratoribus, poetis, ac philosophis celebratissima, simul tamen falsorum deorum cultui ac praesertim Dianae devotissima, et magicis quoque artibus addicta, ut apparet ex eo quod Ephesii ad Pauli praedicationem ingentem copiam librorum magicorum combusserint (Act. XIX) et ex eo quod apud antiquos Εφεσια γράμματα (*characteres Ephesii*) significant characteres magicos. Huic itaque genti Paulus Evangelium praedicaverat, et quamplures ad Christum converterat primo quidem in secundo suo itinere a. 54 (Act. XVIII, 20), et iterum in tertio itinere cum post peragratas superioris Asiae regiones de novo Ephesum venit autumnali tempore eiusdem anni, ibique per biennium et aliquot menses commoratus est (Act. XIX, XX). Epistola de qua loquimur ad laudatos Ephesi fideles missa creditur ob titulum quem in plerisque codicibus gerit, et ob testimonium antiquorum Patrum ex. gr. S. Ignatii martyris, S. Irenaei, Tertulliani et aliorum. Non desunt tamen qui putant epistolam hanc encyclicam esse ad omnes ecclesias Asiae proconsularis directam. Quae tamen sententia cum communi facile conciliatur si dicamus epistolam directe quidem ad Ephesios missam esse, ut in eius exordio I, 1 expresse affirmatur, sed eo consilio ut exinde ad alias quoque Asiae proconsularis ecclesias legenda mitteretur.

Occasio et scopus. - Paulus Romae captivus acceperat ab Epaphra nuncium de plurium civitatum Asiae minoris conversione, simul tamen audivit ingens periculum illis Ecclesiis imminere, praesertim Ephesinae, ob falsos doctores semi-Iudaeos et semi-paganos, qui pravis opinionibus et superstitionis institutis conabantur

neophytos illos a simplicitate Evangelii abducere, affirmantes etiam suam vocationem ad fidem observantiae legis mosaicae, vel naturalis tribuendam esse. Haec itaque occasionem praebuerunt Apostolo huius epistolae scribendae, eo scilicet scopo ut fideles illos contra seductionis pericula praemuniret, in verae fidei professione confirmaret, et ad vitam vere christianam, damnatis impiis superstitionibus, institueret.

Epistolae analysis et summa. — Haec epistola, quemadmodum epistola ad Romanos, duas habet partes alteram *dogmaticam*, alteram *paraeneticam*. In *Parte I* dogmatica (c. I-III), praemissa dedicatione et salutatione, Apostolus Deum laudat ob Evangelii lucem, et gratiam fidelibus illis concessam, et de gratuita tum Iudaeorum tum praecipue Gentilium vocatione multa disserit, sub oculis ponens maximum Dei beneficium, quo illi, cum in peccatis et delictis suis mortui essent, *convivificati sunt in Christo*, ut iam non sint *hospites et advenae, sed cives sanctorum, et domestici Dei*. Hoc vero mysterium vocationis gentium Prophetis et Apostolis revelatum esse dicit, eiusque dispensationem et executionem sibi speciali modo a Christo commissam, ad quem finem preces ad Deum fundit. In *Parte II* paraenetica (IV-VI) ex dictis consecraria deducit ad fidelium illorum vitam vere Christianam formandam, cuius fundamentum et conditio est ut unitatem in fide et caritate servant, a paganorum superstitionibus et vitis abhorreant, Christi exempla sibi imitanda proponant, obedientiam, humilitatem aliasque virtutes sedulo exerceant.

Notanda sunt speciali modo 1° doctrina de Ecclesiae unitate (IV, 11-17), 2° doctrina de sanctitate coniugii, et mystica eius significatione (V, 22-23).

Tempus et locus. — Epistola haec sine dubio Romae scripta est in prima Pauli captivitate circa a. 63. Nam imprimis captivum se dicit pluries in hac epistola (III, 1, IV, 1, VI, 20), sed ita captivum ut speret se cito liberatum iri, et interim ostendat sibi facultatem praedicandi et cum amicis colloquendi concessam esse (V, 19-22), quod de prima Romana captivitate dici poterat, non vero de altera. Confirmantur haec ex epistola ad Colossenses, quae huic valde similis est, et eodem tempore scripta, et per eundem Tychicum missa (Eph. VI, 21, 22, Colos. IV, 7, 8), et ex epistola ad Philemonem eadem occasione data (Col. IV, 9); unde etiam colligitur

tres istas epistolas circa finem Romanae captivitatis scriptas esse (Philem. 22).

F. Epistola ad Philippenses.

Philippi, olim Kronides dicta, a Philippo Macedone ampliata et in arcem conversa, primaria erat Macedoniae urbs ad fines Thraciae sita. In hac urbe Paulus Evangelium praedicaverat in secundo suo itinere cum primum in Europae regiones advenit; sed cum spiritum Pythonis e puella quadam eiecisset, ii quibus lucrum exinde proveniebat Paulum et Silam eius socium ad iudices traxerunt, qui eos virgis caesos coniecerunt in carcerem: unde tamen paulo post cum honore dimissi sunt. Itaque Paulus ab urbe discedens ibi Lucam reliquit, qui opus praedicationis ab Apostolo inceptum tanto successu prosequutus est, ut brevi Ecclesia florentissima ibi formata fuerit, de qua Paulus prae ceteris gloriari videtur (Act. XVI, 12 seqq. Philip. I, 1-8, IV, 1).

Occasio et scopus epistolae. — Philippenses Paulo patri suo, ac magistro addictissimi ut audiverunt eum Romae captivum detineri statim illuc miserunt cum collectis pecuniis *Epaphroditum*, qui et captivo Apostolo assisteret, et de eorum Ecclesiae statu illum certiore redderet. Is itaque narravit Ecclesiam Philippensium Christianis moribus et insigni sanctitate florescere, quamvis non deessent privatae nonnullae discordiae, et aliquod periculum ex parte pseudo-apostolorum, qui ultro citroque cursantes tentabant falsa dogmata fidelibus suadere. Quibus auditis Paulus hanc epistolam suo et Timothei nomine direxit ad illos omnes fideles una cum *episcopis et diaconibus* (I, 1), eamque misit per eundem Epaphroditum, qui ex gravi aegritudine Romae contracta convalescens Philippus revertebatur. Scopus autem epistolae est Philippensibus gratias agere, eorum virtutes laudare, simulque eos ad perseverantiam hortari, et adversus pericula communire. Est igitur tota fere moralis et hortatoria, et quamvis satis brevis (IV capita) ut perfectionis Evangelicae synopsis haberi potest.

Epistolae summa. — Postquam gratias egit Philippensibus de missis ad eum subsidiis, Apostolus impense laudat eorum pietatem, fervorem et in fide constantiam. Hortatur illos ad mutuam dilectionem, obedientiam, et tolerantiam passionum, ubi de suis vinculis loquitur, eaque ad Evangelii propagationem multum contulisse dicit (I-II). Tum eos admonet ut a pseudo-Apostolis caveant,

docens gratiam et salutem non ab observantia legalium esse sperandam, ut illi dicebant, sed a Christo (III). Dnas matronas Evodiam, et Syntychem speciatim ad concordiam invitat, alia monita addit, et bona omnia Philippensibus adprecatus, salutationibus concludit epistolam (IV).

Praeter moralem doctrinam, notandus est locus dogmaticus I, 5-11 de Christo Domino, eius duplici forma, seu natura, in unitate personae, eiusque humiliatione et subsequuta gloria.

Locus et tempus. - Dubium esse nequit hanc epistolam Romae in captivitate scriptam esse; nam ibi de suis vinculis Paulus loquitur (I, 7 seq.) et de Praetorio mentionem facit (I, 13) et de *sanctis qui de domo Caesaris sunt*, quorum nomine salutatur Philippenses (IV, 22). Non possunt autem haec intelligi de secunda Pauli captivitate praesertim ob verba I, 23-26 ubi dicit Apostolus se *scire* quia *manebit et permanebit*, idest adhuc diu superstes erit, ad fidulum bonum, et ad Philippenses iterum se venturum promittit. Ergo loquitur de prima captivitate Romana an. 64-63.

G. *Epistola ad Colossenses.*

Occasio, scopus et argumentum huius epistolae fere eadem sunt ac in epistola ad Ephesios, cuius videtur quasi repetitio, seu compendium (IV capita).

Colossis in Phrygiae urbe inter Laodiceam et Hierapolim sita Evangelium praedicaverat *Epaphras* et Ecclesiam ibi condiderat (I, 7, 12, 13). Is itaque Romam veniens Paulum ibi in custodia detentum adiit, et illius Ecclesiae statum aperuit monens Colossenses a quibusdam falsis praedicatoribus corrumpi coepisse, qui docebant legis Mosaicae ritus necessario servandos esse, non Christum sed angelos mediatores esse nostrae salutis, aliaque plura ex Paganis et Iudaicis superstitionibus deprompta.

Paulus itaque muneris sui esse existimavit hisce malis ac periculis occurrere per hanc epistolam, in cuius *Parte I^a* (I-II) post actas Deo gratias de Colossensium fide, docet *unum* esse *mediatorem Dei et hominum Christum Iesum* qui cum omnium creator sit etiam Angelorum, nos Patri reconciliavit per sanguinem suum: caveant igitur a pseudo-prophetis et philosophis humana scientia inflatis, qui aliena ab hac fide praedicant (1). In *Parte II^a*horta-

(1) Perperam Protestantes hunc locum (Col. II, 18.) detorquent adversus Catholicam doctrinam de Angelorum Sanctorumque cultu et invocatione.

tur Colossenses ut vitia fugiant, virtutibus studeant, mulieres viris suis subditae sint, filii parentibus obediant, servi dominis ex conscientia et propter Deum; vicissim autem patres filiis, et domini servis cum mansuetudine et aequitate imperent, omnes vero orationi instent: denique variis salutationibus epistolam claudit (III-IV).

Tempus, et locum huius epistolae determinavimus loquentes de epistola ad Ephesios; nam eodem tempore et loco hae duae epistolae scriptae sunt, scilicet Romae in prima Pauli captivitate circa an. 63, et per eundem Tychicum missae (Col. IV, 7).

H. *Epistola 1^a ad Thessalonicenses.*

Thessalonica una erat ex praecipuis Macedoniae urbibus. Hanc Paulus Evangelii fide imbuat postquam Philippis discedere coactus fuisset (Act. XVII, 1-4), et Ecclesiam ibi fundavit ex Ethnicis-Christianis praecipue constantem, quamvis plures etiam ex Iudaismo conversos admixtos haberet. Ad hos igitur duas dedit epistolae quae 1^a, et 2^a ad Thessalonicenses dicuntur.

Occasio et scopus epistolae 1^a - Post praedicationem Thessalonicensibus Evangelium, Paulus a Iudaeis eiectus est qui seditionem contra eum commoverant. Inde igitur digressus venit in Beroeam, et deinde Athenas, unde Timotheum misit Thessalonicam qui statum nascentis Ecclesiae investigaret, et fideles illos consolaretur et inter afflictiones erigeret. Timotheus ad Paulum reversus, qui tunc Corinthi degebat, illi exposuit ferventem Thessalonicensium fidem, amorem erga ipsum Apostolum et desiderium eum iterum videndi. Cum itaque non posset Paulus illico ad eos reverti hanc misit epistolam, quae, ordine temporis, est *prima inter Pauli* epistolae. Cuius scopus est Thessalonicenses in amore veritatis confirmare, eosque uberius edocere de nonnullis Evangelicae doctrinae articulis: quod quidem Apostolus mirabili arte praestat reprehensiones suavitate et sinceri amoris attestationibus temperans, et lectores commendans pro virtutibus quibus praediti erant, ut facilius admonitiones et correctiones recipiant.

Epistolae summa. - Itaque in ipso epistolae exordio Thessaloni-

Non enim de hoc loquitur Apostolus, sed vel de cultu daemonum, ut putat Hieronymus (epistola ad Algasiam q. 10), vel probabilius de errore et superstitione Simonianorum aliorumque qui Angelorum mediationem exaggerabant, neglecta, vel exclusa Christi mediatione, ut colligitur ex Epiphiano in haeresi XXI (V. Estium Comm. in h. l.).

censes laudat de eorum fide, patientia, et propensiori charitate tum erga se tum erga ceteros verbi Dei ministros, eosque in tribulatione consolatur suam in eos benevolentiam significans, et illis congratulans quod ipsius imitatores facti sint, et Domini Nostri Iesu Christi, quodque omnium fidelium in Achaia et Macedonia existentium exemplum ac forma (I-II). Eos tamen monet ut ab omni impuritate caveant, et a cupiditate rerum alienarum, et quoniam nonnulli ex iis nimia de parentum suorum morte tristitia conficiebantur, alii etiam de tempore extremi iudicii nimis anxii ac solliciti erant, eos consolatur spe futurae resurrectionis cuius certitudinem probat simulque circumstantias nonnullas tradit (IV), veram etiam de extremo iudicio doctrinam proponit, quod non adeo timendum esse ait iis qui diligenter ad illud se praeparant (V, 1-12); concludit nonnullis moralibus principiis, Thessalonicenses hortatus ut charitatis officia erga se invicem exerceant, et in omnibus subiecti sint suis praepositis, et Evangelii ministris (Ib. 12-28).

Tempus ac locus. - In codicibus graecis saepe occurrit subscriptio qua dicitur haec epistola *Athenis* scripta; verum cum ex ipsa epistola appareat post Timothei reditum Thessalonica eam datam esse (III, 1, 2, 6), et cum aliunde constet Timotheum ad Paulum reversum fuisse postquam is Athenas reliquisset, et Corinthum venisset, hinc standum est pro communi sententia quae hanc epistolam Corinthi scriptam docet, in secundo Pauli itinere Apostolico, a. 53 vel 54, unde patet hanc esse primam epistolam a Paulo conscriptam, ut supra innuimus.

I. Epistola II^a ad Thessalonicenses.

Haec epistola veluti prioris complementum habenda est. In priori enim epistola (II, 17, 18) Paulus vehementer se desiderare dixerat ad Thessalonicenses reverti, sed a Satana impeditum fuisse, deinde etiam (III, 10) *die ac nocte se orare ut Deus sibi concedat ad eos redire, et complere ea quae desunt fides* eorum. Cum igitur gravissimis de causis diutius impediretur quin hoc consilium perficere posset, per hanc secundam epistolam facit absens quod praesens facere voluisset, scilicet Thessalonicensium fidem laudat, ac roborat, spem erigit, eosque ad fortiter et constanter patiendum pro Christo hortatur. Quoniam vero de mortuorum resurrectione et de extremo iudicio multa disseruerat in priori epistola, iisque non bene intellectis, Thessalonicenses in hanc persuasionem vene-

rant ut crederent finem mundi iam instare, et hunc errorem impostor quidam confirmare satagebat tum fictis revelationibus, tum suppositis ipsius Pauli epistolis, hinc clarius mentem suam aperit Apostolus docens non prius Christum ad iudicium venturum quam apparuerit *homo peccati filius perditionis* (id est Antichristus) in omni virtute et signis et prodigiis mendacibus, quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui (II, 1-11). Rursum quoniam in prima epistola (V, 14) otiosos quosdam et inquietos redarguerat, sed eos nondum emendatos esse audierat eos hic severius monet (III, 1-6), multa praeterea addit ad lectorum mores informandos, hortaturque ut pravorum hominum consortium evitent, et constanter teneant *traditiones* quas sive *per sermones, sive per epistolam* ab eo acceperant. Denique ad fraudes cavendas circa suas epistolas hanc tesseram, seu signum tradit ad eas dignoscendas (III, 17): «*Salutatio mea manu Pauli: quod est signum in omni epistola, ita scribo: Gratia Domini Nostri Iesu Christi cum omnibus vobis; amen.*»

Ex hisce patet tum *ocasio* tum *scopus* et *argumentum* huius epistolae. Quod atinet *tempus* et *locum*, non obstantibus subscriptionibus quorundam codicum graecorum, clare patet, et communi suffragio a criticis admittitur, hanc alteram epistolam brevi post primam scriptam esse Corinthi ante finem an. 54.

K. Epistola I^a ad Timotheum.

Tres epistolae sequentes scilicet duae ad Timotheum et una ad Titum a quibusdam appellantur *epistolae pastorales* eo quod de officiis pastorum Ecclesiae pertractant.

Timotheus Lystris in Licaonia ex patre gentili et Eunice matre Iudaea natus (Act. XVI, 1, 2 Tim. I, 5), in christiana fide ac religione a sua matre, et ab avia Loide instructus fuerat (2 Tim. I, 5), in eaque multum profecerat cum Paulus illum Lystris sibi socium praedicationis et laborum adiunxit, et, ne gentilis eius origo obstaret, eum circumcidit (Act. XVI, 3), Timotheus, recepta a Paulo manu impositione, illi semper adhaesit, et plerasque tribulationes, peregrinationes ac labores cum eo divisit, eius quoque nomine Thessalonicensem, Philippensem, Corinthiam aliasque Ecclesias visitavit et administravit. Tandem Paulus Timotheum Ephesi episcopum reliquit, ut curam Ecclesiarum Asiae gereret et ad eum duas celebres misit epistolas.

Occasio et scopus I^{ae} epistolae ad Timotheum. - Postquam Timo-

theus adhuc iuvenis episcopus consecratus fuisset, et Ephesi relictus Apostolus opportunum duxit ad eum scribere ut eum instrueret de officiis Episcopi et de modo se gerendi in regimine Ecclesiae Ephesinae.

Epistolae summa et analysis. - Initio epistolae post gratulationem salutationem monet Timotheum ut attente invigilet contra pseudo-Apostolos qui genealogiis interminatis et fabellis indulgentes a sincera et simplici Ecclesiae doctrina fideles avocabant (c. I). Deinde iubet fieri publicas orationes pro omnibus, etiam pro Ethnicis principibus, et magistratibus, quia *Deus vult omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire*, addens praecipuas virtutes quae christianas mulieres decent, modestiam in ornatu, silentium in Ecclesia, subiectionem viris (II). Transit ad officia pastoralia magis directe tradenda: quales ordinandi sint episcopi, vel diaconi, et quaeenam sint eorum dotes et officia; itemque mulierum quae sacris ministeriis addicendae sint (III): Timotheum hortatur ut sedulo se exerceat ad pietatem quae *ad omnia utilis est*, falsa et inepta devitet, lectioni, exhortationi et doctrinae incumbat, et, quamvis iunior, vitae exemplar seipsum praebeat fidelibus (IV): plura addit de ratione gubernandi seniores, anus, iuenculas, viduas, et de conditionibus ad viduam eligendam requisitis: presbyteros qui bene praesunt duplici honore dignos esse, accusationem adversus presbyterum non facile recipiendam, nec cito cuiquam manus imponendas (V): denique iterum praemuniens Timotheum adversus instantes haereses, eumque iterum ad virtutes omnes, et ad perseverantiam in Dei famulatu vehementer adhortatus, salutatione epistolam claudit (VI).

Tempus, locus, etc. huius epistolae haud certo constant. Multi cum Baronio hanc epistolam a Paulo scriptam existimat an. 57 in Macedonia, quo se receperat postquam coactus est Epheso discedere ob tumultum a Demetrio argentario excitatum (Act. XIX, XX, 4), proindeque in tertio itinere Apostolico: huic sententiae videtur favere quod in ipsa epistola dicitur I, 3; sed obstat quod legitur III, 14 seq., IV, 13, ubi propositum suum aperit brevi Ephesum revertendi, quod in illo tertio itinere nec fecit (Act. XX, 2, 3), nec facere voluit aut desideravit (Act. XIX, 21, coll. I, Cor. XVI, 5-9). Alii putant epistolam hanc datam esse inter primam et alteram Pauli captivitatem Romae (63-67).

Alii denique cum Reithmayr, Güntner aliisque recentioribus hanc epistolam collocant in brevi itinere Apostoli in Achaiam quod includitur in spatio illo temporis quo Ephesi commoratus est: ideoque an. 36. Secunda opinio probabilior videtur. Locus autem definitur nequit, sed vulgo creditur esse aliquam Macedoniae urbem.

L. Epistola I^a ad Timotheum.

Haec est *postrema* Pauli epistola ordine temporis, et veluti eius testamentum dilectissimo filio relictum.

Occasio et scopus. - Cum Romae iterum in carcere detineretur Apostolus, et brevi se moriturum probe nosceret hanc ad Timotheum dedit epistolam charitate et paterno affectu plenam, ut illum in pastoralibus officiis iterum erudiret, simulque induceret ut Romam ad se veniret.

Epistolae summa et analysis. - Timotheum hortatur ut *resuscitet gratiam Dei* acceptam per *manuum impositionem*, et iterum pastoralia munera illi exponit monens ut pergat in suis officiis adimplendis sive intrepide Evangelium praedicando, sanam doctrinam tradendo, depositum fidei custodiendo et aliis committendo *qui idonei erunt et alios docere*, sive peccatores arguendo, contentiones, vaniloquia et stultas quaestiones vitando, et haereticos confutando fidei puritati insidiantes. Praeterea Timotheum munit contra instantes persecuciones, et ad patientiam invitata, studium sacrarum Scripturarum illi commendans, quas *a Deo inspiratas* dicit, et ad omnem spirituales profectum utilissimas (I-III): eum deinde vehementer obtestatur per Christi iudicium, ut se falsis doctoribus eorumque asseclis constantissime opponat instando doctrinae praedicationi, et defensionem. Addit mortem sibi imminere, et cito se praemium laborum suorum a Christo iusto iudice recepturam: bis Timotheum rogat ut cito ad se veniat secum adducens Marcum, demum nonnullis de sua captivitate aliis afflictionibus breviter adnotatis, Timotheo vale dicit (IV).

Locus et tempus. - Epistolam Romae in vinculis scriptam esse omnes admittunt, et ex ipsi epistolae verbis apparet (I, 8, 16-18; II, 9; IV, 6, 16). Quaeri posset in prima ne, an in altera Romana captivitate, in qua Paulus mortuus est? Primum tenent nonnulli praesertim recentiores, inter quos Hug ingeniosissime hanc opinionem propugnat; at rem conficere non videtur. Itaque communis sententia est hanc epistolam in *secundis Pauli vinculis* Romae brevi

ante eius martyrium (an. 67) datam esse; quod quidem tum ex laudato loco IV, 6-8 desumitur, ubi Apostolus ait *tempus resolutionis suae instare, et cursum iam esse consummatum*, tum ex eo quod circumstantiae indicatae IV, 9, 11, 12 cum prima captivitate non conveniant.

M. *Epistola ad Titum.*

Titus alter praecipuus Apostoli discipulus gentilibus parentibus natus est ut discimus ex Gal. II, 1, 3, ubi primum eius mentio occurrit. Paulus eum sibi comitem adiunxit cum Hierosolymam apostolici concilii causa se conferret. Dein in tertio suo apostolico itinere eum iterum socium habuit, eumque bis Corinthum misit ad fideles illos monendos, et solandos (2 Cor. II seq., VIII, 16 seqq.); adeo vero carus Apostolo erat, ut is testaretur se non habuisse in Troade requiem eo quod Titum fratrem suum non invenisset (2 Cor. II, 13). Postea in insula Creta a Paulo relictus est *ut ea quae deerant corrigeret, et constitueret per civitates presbyteros* (Tit. I, 5): in Dalmatiam quoque eum perexisse legimus 2 Tim. IV, 10. Eusebius et Hieronymus (Eus. H. E. III, 4; Hieron. Comment. in Tit. II, 7) tradunt Titum coelibem vitam duxisse, et in Creta obiisse annos natum 94.

Occasio et scopus epistolae ad Titum. — Postquam Apostolus in Creta praedicasset et Ecclesiae fundamenta iecisset Titum ibi reliquit ut inceptum opus absolveret: pro sua tamen apostolica sollicitudine opportunum duxit hanc epistolam ad eum mittere, in qua eum instruit de pastoralibus officiis tum in genere consideratis, tum respectu habito ad peculiare circumstantias in quibus Ecclesia illa versabatur.

Epistolae summa. — Epistola haec valde similis est secundae ad Timotheum. In ea Paulus rursus exponit munera boni pastoris, ad quae implenda hortatur Titum in mentem illius revocans ad hunc finem eum in Creta insula relictum fuisse: attendat igitur imprimis ministrorum electioni et ordinationi, quorum officia et dotes requisitae hic rursus enumerantur: incumbat ad fidelium institutionem et quidem diverso modo pro diversa eorum conditione: denique fideles Iudaizantes severe redarguat, *Cretenses pigros dura increpet, vanas quaestiones, genealogias, pugnas Legis devitet, haereticum hominem post unam et alteram correptionem a se arceat.* Haec sunt quae in brevi hac epistola (capita III) continentur.

Tempus, et locus descriptionis huius epistolae certo definiri nequeunt. Alii illam collocant ante primam Pauli captivitatem Romae, alii postea, alii circa a. 56, alii circa a. 66: nonnulli eam volunt Ephesi scriptam, alii Nicopoli.

N. *Epistola ad Philemonem.*

Occasio, et scopus epistolae. — Philemon civis Colossensis, et Pauli amicus servum habebat Onesimum, qui rebus nonnullis domino suo furto sublatis Romam aufugerat, quo tempore Paulus ibi in primis vinculis detinebatur. Itaque, divina aspirante gratia, facti poenitens ab eodem Paulo Christianae religionis mysteriis imbutus, et baptizatus est, mox vero cum hac epistola commendatitia ad herum remissus, in qua Paulus Philemonem amicum et hospitem suum obnixè deprecatur ut fugitivum servum ad ipsum revertentem benigne suscipiat *iam non ut servum, sed pro servo charissimum fratrem*, se interim sponsorem offerens ad quodvis damnatum ab illo illatum ultro reparandum.

Haec pauca cum nonnullis salutationibus constituunt huius epistolae summam, quae licet brevissima sit (caput unicum) pulcherrima tamen est, ac suavissima, et Apostoli charitate apprime digna.

Scripta est epistola Romae in priori Pauli captivitate (vv. 1, 13 coll. 22).

Quartadecima Pauli epistola est illa ad Hebraeos, de qua in sequenti articulo.

Nunc addere placet *tabulam synopticam* gestorum et scriptorum Pauli, ad clariorem eorum quae diximus intelligentiam. Eam desumpsimus ex Introductione Cl. Lamy to. II. pag. 326 ed. 2 Mechlinae a. 1873 praeter levissimas aliquot immutationes.

SYNOPSIS

SAULUS QUI ET PAULUS	ANNO AERAE VULGARIS	ORDO CHRONOLOGICES EPISTOLARUM
1 ^o Ad Christum convertitur	35	
2 ^o In primo itinere apostolico praedicat, variasque fundat Ecclesias	42-50	
3 ^o In secundo itinere apostolico Paulus per annum et sex menses Corinthi degens, scribit	53-54	I et II ad Thessalon.
4 ^o In tertio itinere apostolico Ephesi commoratur ultra biennium Apostolas	54-56	
Et scribit	55	Epist. ad Galatas.
Ex eadem urbe paulo post scribit	55 vel 56	I ad Corinthios.
Pergit Paulus in Macedonia unde scribit	56 vel 57	II ad Corinthios.
Profecturus Corinthum, ibique commoratur tres menses, et scribit	57 vel 58	Epist. ad Romanos.
5 ^o Absoluto tertio illo itinere, Paulus Ierosolymae in vincula conicitur, Romamque deportatur, ubi per biennium moratus scribit	61-63	Epist. ad Philippenses. — ad Colossenses. — ad Ephesios. — ad Hebraeos. — ad Philemonem.
6 ^o Captivitate solutus, Paulus nova suscipit itinera apostolica, et e Macedonia (?) scribit	64 vel 65 (?)	I ad Timotheum.
7 ^o Praedicat Apostolus in Creta insula, qua relicta, e Nicopoli (?) scribit	65 (?)	Epist. ad Titum.
8 ^o Paulus Romae iterum captivus scribit	67	II ad Timotheum.
Deinde gladio perimitur	67	

IV. Epistolae Catholicae.

Duae ex epistolis Catholicis protocanonicae sunt, nempe prima Petri, et prima Iohannis, de quibus nunc pauca.

A. Epistola I Petri.

Misit Petrus hanc epistolam ad fideles dispersos per Asiae ceterioris provincias in principio epistolae numeratas (I, 1) occasione persecutionum, quibus illi obnoxii erant ex parte Ethnicorum, quorum depravatos mores verbo et exemplo redarguebant, et eo scopo ut eosdem fideles consolaretur, et in fide ac bonis moribus confirmaret.

Epistolae summa. - Itaque expositis primum mysteriis quae Prophetae V. T. praenunciaverant de Verbi Divini incarnatione, passione, redemptione, ac de vocatione Iudaeorum et gentium ad Christi gratiam, fideles adhortatur Petrus ut hanc doctrinam ab Apostolis

clarius praedicatam constantissime teneant, et ad eam tuendam ardua quaeque libenter tolerare parati sint exemplo Christi roborati, qui pro nostra salute mortem subiit. Simul autem monet ut, quoniam sanguine Christi redempti fuerunt de vana conversatione paternae traditionis, tamquam peregrini ab omnibus carnalibus, et terrenis abstineant, principibus pareant, et sancte inter gentes vivant, ut decet genus electum, regale sacerdotium et populum acquisitionis (I, II). Dein specialim de mutuis coniugum officiis loquitur, et de mulierum ornatu, et ad varias virtutes exercendas provocat, imprimis autem ad mutuum charitatem, et concordiam, et ad hilarem passionum tolerantiam amore Christi (III, IV). Tandem seniores (πρεσβυτέρους, seu episcopos, et sacerdotes) instruit quomodo gregem sibi commissum pascere debeant forma facti gregis ex animo, omnes autem, praesertim adolescentes, ad subiectioni ac animi demissioni studeant, et Divinae Providentiae seipsos committant: et varias in fine salutationes addit (V).

Epistolam hanc Romae scriptam esse communiter tenent critici innixi auctoritati Papiae, Clementis Alex., Hieronymi, Chrysostomi aliorumque Patrum, et plurium codicum subscriptionibus; iuxta hanc sententiam metaphorice designatur Roma illis verbis V, 13: « Salutat vos ecclesia quae est in Babylone coelecta » quae metaphora Iudaeis usitata erat per id temporis, et occurrit etiam in Apocalypsi (XVI, 19, XVII, 5, XVIII, 2). Ad tempus quod attinet vulgo creditur scripta haec epistola circa a. 63.

B. Epistola I Iohannis.

Epistola haec cum Iohannis Evangelio magnam habet similitudinem, considerato sive argumento, sive stylo. - Scilicet ad eundem scopum scripta videtur ac Evangelium, ut nempe Divinitatem Christi, et Incarnationis mysterium contra nascentes errores defenderet.

Itaque imprimis adstruit veram de Verbi Divinitate et Incarnatione doctrinam, et exinde fideles ad charitatem in Deum et proximum hortatur, et ad vitandos seductores, qui errores contra praefatam doctrinam spargebant (I, II). Multa addit de Dei erga nos dilectione, de distinctione inter eos qui ex Deo sunt, et eos qui ex diabolo, de amore et odio fratrum, et de sincera in Christum fide, qua omnia a Deo impetrantur (II). Iterum charitatem inculcat, qua oportet Deum toto corde diligere quia ipse prior dilexit nos, et

filium suum pro nobis tradidit; charitatem autem perfectam dicit *foras mittere timorem* (IV). Demum alia nonnulla addit de charitate et fide (ubi iterum seductores perstringit); item de tribus in terra et in coelo testibus, et de peccato ad mortem et non ad mortem, concludens Christum esse *verum Deum, et vitam aeternam*, et a simulacris abstinendum (V). - Tota epistola fervorem et charitatem Iohannis spirat, eiusque characterem apertissime praesefert.

Ad quos epistola haec directa fuerit, et ubi scripta incertum est. Creditur autem circa idem tempus quo Evangelium editum est a Iohanne missam fuisse.

Reliquae quinque *epistolae Catholicae* deuterocanonicae sunt, quemadmodum etiam *Apocalypsis* Iohannis, de quibus mox in sequenti articulo.

ARTICULUS III.

DE GENUINITATE LIBRORUM DEUTEROCANONICORUM NOVI TESTAMENTI

Evidentia illa externa et interna quae librorum N. T. genuinitatem certam atque inconcussam reddit, aliquatenus deficere videtur pro septem illis libris, qui *deuterocanonici* appellari solent, scilicet *epistola ad Hebraeos, epistola Iacobi, secunda Petri, secunda et tertia Iohannis, epistola Iudae et Apocalypsi*.

Quapropter, ne difficultatem dissimulare videamur, operae pretium erit de horum genuinitate singillatim pertractare: ac primo de *Epistola ad Hebraeos*.

THESIS II.

*Auctor epistolae quae ad Hebraeos inscribitur
est Paulus Apostolus.*

Epistola ad Hebraeos, quae quartodecimo loco inter Pauli epistolas legitur tum in textu Graeco tum in versionibus, partim *dogmatica* est, et partim *exhortatoria*, ita tamen ut dogmata exhorta-

tionibus misceantur, nec constituant duas distinctas epistolae partes. Ad dogmata quod attinet, tractatur hic praecipue de Christi Domini Sacerdotio et Sacrificio, et de eius excellentia supra Sacerdotium et Sacrificium Leviticum. In magifico exordio epistolae exponitur et probatur Christi dignitas supra Prophetas, supra Angelos omnesque creatas res, unde statim concluditur multo gravioris criminis reum esse qui Legem novam a Christo datam violaverit, quam qui veterem per Moysen et per Angelos traditam contempserit, et salutis doctrinam a Christo, eiusque Apostolis annunciatam firmiter tenendam esse (c. I-IV, 14). Deinde de Christi Sacerdotio sublimeret disseritur: Christus Dei filius, sed verus etiam homo, et humanae infirmitati obnoxius, excepto peccato, omnes sacerdotis partes explevit, eiusque sacerdotium secundum ordinem Melchisedech longe superat sacerdotium Aaronicum, cum propter Christi excellentiam, tum quia aeternum est, imprimis vero ratione sacrificii a Christo semel oblato, quod ad omnium peccata delenda et ad omnes sanctificandos satis fuit, quod veteris Legis sacrificia quamvis repetita efficere non poterant (IV, 14, X, 18); his vero exhortationes, et reprehensiones miscentur (c. V et VI). Transit deinde Auctor ad hortandos Hebraeos ne talem ac tantum Pontificem per infidelitatem deserant, et divinam ultionem in se provocent; mox vero in spem et fiduciam erigit, propositis praesertim sanctorum Veteris Testamenti exemplis, qui per fidem Deo placuerunt, et mira egerunt ac passi sunt (X, 19, XI, 40). Addit multa de afflictionibus, et persecutionibus fortiter tolerandis, proposito Christi patientis exemplo (XII), item de charitate, hospitalitate obedientia aliisque virtutibus sectandis (XIII, 1-18); demum et salutationibus epistolam claudit (ib. 24, 25). Epistola Romae scripta creditur in prioribus Pauli vinculis (a. 61-63), quod non solum ex codicum antiquorum subscriptionibus colligitur, sed etiam ex salutatione XIII, 24.

Hanc itaque epistolam Paulo olim abiudarunt Caietanus et Erasmus rationibus ducti potissimum internis: quorum opinionem nihil morantes Tridentini Patres epistolam ad Hebraeos inter Paulinas numerarant, quod iam a multis saeculis universae Ecclesiae persuasum fuerat. Verum dubia de huius Epistolae auctore apud Protestantes manserunt et adhuc manent, praesertim apud eos qui rationalistica placita sequuntur. Quamvis enim huius Epistolae au-